



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

iii. In eode[m] vivente neq[ue] simul, neq[ue] susseßivè da[n]tur plures  
animæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](#)

sunt principiorum intrinsecorū genera. Quare Arist. assignans quatuor animatorum genera, loquitur magis ex mente vulgi, subdividens sensitivum in locomotivum imperfēctè, qualia sunt conchylia moventia se solum motu contractionis & dilatationis, adeoque potentia mutare solum locum inadæquatū, & in progressivum ; de cætero potentia loco motiva subservit animæ sensitivæ operanti cum cognitione. Est divisio generis partim in species subalternas (cùm diversæ dentur & plantarum & brutorū species) partim in infinitas. In eâ membra dividentia se mutuò non includunt; anima enim sensitiva vegetativam tantum, sive animam ut per propriam differentiam contractam ad plantam non includit; sive formaliter non est anima vegetativa excludens sensationes; sed est eminenter vegetativa, imò formaliter, si to vegetativa accipiatur genericè. Unde tamen anima rationalis non erit corporea, corruptibilis, divisibilis &c. omne enim vegetativum *ut quod* si ve compleatum, & omne vegetativum tantum *ut quo* est materiale, corruptibile &c.

III. In eodem vivente non dantur simul plures animæ, cùm operationes tam diversæ

no 6

fussi,

sufficienter possint procedere ab una. Et non potest anima concupisibilis appetere quidquam, nisi ipsa sit cognoscitiva, non irasci & pugnare contra occurrentia mala, nisi concupiscat, ergo eadem est concupisibilis, irascibilis & cognoscitiva, & non triplex, una resiliens in cerebro, altera in corde, tertia in hepati. Item potest eadem anima inclinari ad malum sive ad bonum jucundum, sed in honestum per dictamina proponentia electione hujus boni, quae ideo dicuntur dictamina partis inferioris, non quia sunt duas animae, aut duas partes animae rationalis, a quibus procedant; sed quia inclinata ad voluptates sensuales: & simul in bonum honestum, ita tamen, ut una inclinatio sit efficax, & sic experitur anima harum duarum inclinationum pugnam inter se, non vero pugnant duas animae inter se. Neque successivè, ita ut fetus humanus primo informetur anima vegetativa tantum, vivatque solam vitam plantae, donec perfectius organizetur, & tum expulsa anima vegetativa tantum, succedat anima vegetativa & sensitiva simul, vivatque vitam bruti &c. Nam eadem dispositio-nes, quae serviunt ad inducendam in materiam embryonis animam vegetativam, servant quo-

quoque ad inducendam animam rationalē,  
etsi quæ serviunt ad exercendas vegetationes  
ab hac anima, non sufficient statim ad exer-  
cédas sensationes, multò minùs ad ratiocina-  
tiones: quare ab eadem anima rationali jam  
inductā, inchoata organizatio ulteriūs perfi-  
citur, ita, ut anima, quæ priūs tantūm proxi-  
mè potens est exercere actiones vegetativas,  
dein fiat proximè potens exercere sensatio-  
nes &c. Sicque natura paulatim progreditur  
ab imperfectioribus, nimirum actionibus, ad  
perfectiora; & sic verum est, quod fætus hu-  
manus priūs vivat vita actuali plantæ, sive  
priūs exerceat operationes vegetativas, dein  
sensitivas &c. non autem, quod priūs vivat  
vitâ substantiali & radicali plantæ: quod si  
fieret, fætus reverà priūs fuisset planta, dein  
brutum & denique homo; compositū enim  
ex materia & animâ vegetativâ tantūm est  
planta, nō obstante, quod eadē materia pau-  
lò post futura sit constitutivum hominis, ut  
pater in plantis homini in cibum defervienti-  
bus; neque quod anima vegetativa tantūm  
ordinetur ad sensitivam &c, chylus enim est  
chylus, sanguis est sanguis, etsi forma utriusq;  
ordinetur ad formam carnis. Jam verò ad

n 7

quam

quam specieē plantæ pertinebit hic fætus animatus animâ vegetativâ tantum? ad specieē credo, innominatam aliquam plantæ, sed hoc est aliquid fingere. Neq; ex diversis operationibus ejusdē suppositi, statim colligenda est diversitas vel multiplicitas principiorum existentium in tali supposito, sed ex diversa operationum collectione convenientium uniformæ, quæ tota non convenit alteri formæ, harum formarum colligenda est diversitas.

IV. Verisimilius est, de facto omnes animas esse ejusdem speciei infimæ sive omnes animas. V. G. hominum inter se, animas leoninas inter se, quercinas inter se &c. esse ejusdem perfectionis substancialis. Inæqualis enim illa operationum. V. G. intellectuum, visionū &c. perfectio, non inæqualitati animarum in substantia, sed perfectiori organorum elaborationi & dispositioni, aptiori humorum temperamento, vivacioribus spiritibus est adscribenda: ut ex eo patet, quod multi post morbum propter indispositionem organorum, evadant stupidi, qui ante erant ingeniosi. Pariformiter de formis partialibus loquendum est, eas in perfectione substanciali æquales, differre solum secun-